Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 703
Quelle:
Copyright:

Ultimus hic Sermo LVI. deest in *Elencho*; inscribitur autem *fol.* 89. *Feria IV. ebdomadę primę de quadragesima. Sermo sancti aug. ep. contra manicheos.* Init: *Ea quę de sancto euangelio recitata sunt fratres karissimi si omnia pertractare cupiamus. uix tempus sufficit singulis. quantomagis non sufficit omnibus. Jonam prophetam qui deiectus in mare belue marine utero exceptus est. et die tertia uiuus euomitus. figuram gessisse saluatoris qui passus est et die tertio resurrexit. ipse saluator ostendit.* Finit prolixior: *Adducite ad lauacrum baptismatis quos potestis. ut sicut filii fuistis quando nati estis. sic etiam ducendo ad nascendum matres christi esse possitis.* — En igitur, quantum a rarissimo et valde castigato hoc *Codice*, cujus Αντιγραφα etiamnum latent, *Sermonibus* divi Doctoris adcrescat!

II. *fol.* 92. sequitur Ejusdem Enarratio in *Psalmum* CXVIII. constans *Sermonibus* XXXII. et *Prooemio*, ut Edit. *Maur.* T. IV. *col.* 1277. Nobis minio inscribitur: *Incipit prephatio psalmi CXVIII.* et insit: *Psalmos omnes ceteros quos commentario nouimus contineri* &c. Abstinui in praecedentibus a variae lectionis, quae affatim subpetit, Specimine, quod ipsi *Sermones novi* Codicem satis commendarent; hic vero excerpam *Prooemium*, cujus ipsum initium ab Editis jam differt, ut collatione liquet. Habet dein Noster *ob consuetudinem* pro *Ecclesiae consuetudine*, item *propter altitudinem* pro *propter ejus profunditatem*, item *meę intentionis* pro *nostrae*, item *Et nunc quia dictandi pertractatione quomodo quid in eo possim prorsus ignoro, de cetero tamen ut aliquid possim, affuturum atque adiuturum inuoco deum*, quod aliter in Editis, item *Sic enim feci in omnibus, quęcumque cum prius* &c. pro *fecit in omnibus, quaecumque sufficienter, cum prius* &c. item *delectari assolet cantilena* pro *assolent cantilenā*, item *de ipso psalmo est loquendum, de quo istud fuit preloquendum* pro *jam de ipso est loquendum, de quo istuc visum est praeloquendum.* Ita per decursum multa etiam notatu digniora. In verbis ultimis *Sermonis* ultimi, *quam nostri vel latine* — scriptionem abrupit Librarius adjecto: *Explicit. Deo gratias.*

III. *fol.* 125. minio *In nomine domini. Incipiunt breues retractationum beati Augustini episcopi.* In hoc Elencho, prout etiam in ipso L. I. omissum est *Caput* VI. sive *Disciplinarum Libri*, fortasse, quia hi Libri ad nos non pervenere. Opus ipsum praescribitur: *In hoc corpore continentur retractationum Sancti aug. ep. libri. II.* At vero a *Cap.* XXIV. L. II. sive *de Genesi ad literam*, atque adeo ab his verbis: *secundum quam factus est, perdidisse peccato* — Membranae exciderunt. Codex cum Editis T. I. *Maur.* probe consonat, neque in *Praefatione* aliud reperi, quam *judiciaria sententia* pro *severitate*, item *censoris stilo* pro *censorio*, denique *reuocare et emendare* pro *revocare emendanda.*

IV.